

4/2003

IDIBVS NOVEMBIBVS

MMIII

RVMOR
VARIVS
XXV
ANNOS
NATVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
A D IV C

TOMVS 26

FASC. 150

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	27.-
In ceteris Europae terris	EUR	18.-
In terris trans maria sitis	US\$	30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS, C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	27.-
Europa/Europe	EUR	18.-
Uebersee/outre-mer	US\$	30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition
RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch


www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO



Amicae et amici nostri!


Nuper in operibus L. Annaei Senecae philosophi inveni nonnulla, quae valde mihi placuerunt, quod apta nostro tempori mihi videntur.

Nostra aetate bella causis fictis et mendaciis geruntur, homines, qui summam potestatem obtinent, feroci vi saeviunt et leges pactionesque pede calcantes summa adrogantia ius humanum et ius inter nationes contemnent.

Olim consules Romani ipsi ad bella, quae conflaverant, proficiscebantur. Nunc autem regentes, qui bella gerenda imperant, magna ignavia longe a locis bellorum remoti in tuto sedent. Summa dementia de "bello humano" loquuntur; cum adversarii milites (qui homines sunt non aliter ac alii cives et quibus non minora iura vivendi sunt) interficiuntur id "bonum eventum" appellant. Cum cives, mulieres, liberos proeliis necantur, dicunt summa inhumanitate id dolendum quidem, sed non evitabile esse.

Sed legite ipse dicta Senecae philosophi:

"Non privatim solum, sed publice furimus. Homicidia compescimus et singulas caedes, quid bella occisarum gentium gloriosum scelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Et ista quamdiu furtim et a singulis fiunt, minus noxia minusque monstrosa sunt: Ex senatus consultis plebisque scitis saeva exercentur vetita privatim. Quae clam commissa capite luerunt, tum, quia paludati fecere, laudamus. Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno et bella gerere gerendaque posteris tradere, cum inter se etiam mutis ac feris pax sit." (Epistulae morales, XCV 30).



Valete!

Daniel Weissmann

**CANTICUM A „SCARABULSANTIBUS“ LINGUA
ANGLICA „BEATLES“ APPELLATIS
COMPOSITUM...**

I Feel Fine

Carum habet me, euoe,
beatam dicit se, euoe,
dilecta.
Valde amo hanc et gaudeo.

Parvulae amore captus sum.
Mei et est captum melculum.

Semper a me unice
amari dicit velle se
dilecta.
Valde amo hanc et gaudeo.

Parvulae amore captus sum.
Mei et est captum melculum,

quia dono multos anulos
do gemmiferos pulcherrimos
dilectae.

Valde amo hanc et gaudeo.
Valde amo hanc et gaudeo.

...a Francisco Schlosser Latine redditum



«Sit tibi vita levis!»

Epictetus tam in vita stoicus quam in sermonibus fuit. Qui, diu servus, pauper omni tempore, iure paupertatem laudavit. Itaque, cum eum honores, divitias, gloriam contemnentem audimus, verbis eius credimus, adeo virtus illa nuda firmaque fuit et quae supra cupiditatum illecebras videretur. Nihil enim in Porticus asperitatibus fuit quo vir omni iam assuetus

inopia terreri posset. Sed animi fortitudo apud illum nil impedit quin praeceptorum magnitudinem exaequet. Quae de vita eius pauca accepimus e libris de factis egregiis sanctorum scriptis sumpta esse videntur; quam autem admirationem inter paganos movit, ea propius quidem ad cultum deorum accedit.

«Epictetus, ait Pascal, unus est ex omnibus philosophis qui hominis officia melius perspexit. Etenim ante omnia praecipit ut ad Deum se potissimum applicet; illum persuasum habeat omnia cum aequitate regere; illi semet ipsum libenti animo subiciat, et in omnibus rebus illum volens sequatur, utpote nihil agentem nisi cum summa sapientia; ita fore ut querelae gemitusque omnes cohibeantur et ad molestissimos casus placide ferendos animus paratus sit. Ne dixeris umquam, inquit: «Hoc perdidit,» immo vero: «Hoc reddidi.» «Filius mortuus est, reddidi eum. Uxor mortua est, reddidi eam.» Ita quoque de bonis et de ceteris omnibus. — At qui rem abstulit, inquis, malus homo est. — Quidnam laboras, per quem qui commodaverit rem reposcat? Qua dum te patitur uti, eam ut bonum alienum serva, non secus ac qui iter facit in deversorio se habet».

Facete lepideque dictum

In Phrygia natus Epictetus primo post lesum Christum saeculo, Romae Neronis temporibus adest, qua in urbe adulescens imperatorii liberti servus factus est. Ac saevum dominum narrant ludibrii causa crus eius ferramento quodam distorsisse, illum vero aequo animo: «Hoc tu mihi franges» dixisse;


mox, cum dominus per iocum crudeliter perseverasset, crure fracto, nihil aliud nisi: «Hoc equidem dixeram» adiecisse.

Quod quidem stoicae patientiae exemplum tantam admirationem habuit, ut postea Celsus, quo non alius christianam fidem infensius insectatus est, christianos his verbis increpare auderet:

«Christus iste vester num quid umquam tam pulchrum, dum cruciatur, dixit?»

Cui respondit Origenes simpliciter:

«At nihil, quod etiam pulchrius est, Deus noster dixit».




Neminem video sapientem quin sibi recessum aliquem destinet quem procul veluti portum prospiciat et eo se recepturus sit, adversis ubi compelletur ventis. Quod autem contra fortunam comparatis refugium, id ipsum fortunae est; et quamvis longinqua provideatis, excedent fortuita. Nam, cum altera ex parte vos munitos esse credetis, ex altera offendetini; quas circumundique tutas feceritis aedes fundamenta deficient; fundamenta si erunt firma, ex alto demissum omnia penitus evertet fulmen. Quibus verbis significo, ut simpliciter omissisque figuris dicam, mala pluribus viis nos adoriri et invadere quam ut provideri et undique cohiberi possint; quin etiam, rerum omnium in terris, quibus nitamur, nullam esse quin non solum deficere, sed in summam aegritudinem nobis verti possit. Quae si confirmari necesse haberemus, nimis videremur ignorare quae soleret esse ratio vitae humanae.

Stoicorum disciplina lusus est et mentis imago, Platonis civitati similis. Finxerunt enim illi posse fieri ut homo in paupertate rideret; ut iniurias, ut ingratorum malitiam, ut divitiarum amissionem, haud secus ac propinquorum et amicorum, aequo animo ferret; ut mortem interritus conspiceret, tamquam rem indifferentem, qua nec laetari quemquam nec maerere deceret; ut nec voluptate nec dolore vinceretur; ut, in qualibet corporis parte cum ferrum aut ignem sentiret, ne suspirium quidem aut lacrimam ederet unam; atque hoc iisdem sic excogitatum virtutis constantiaeque simulacrum sapientem appellari libuit. At hominis, quaecumque apud eum reppererant vitia relinquentes, nullam fere culpam denotarunt. Neque vitia eius ita turpiter aut ridicule depinxerunt, ut spectaculo corrigeretur, sed exemplar illi virtutis magnanimitatisque proposuerunt quod imitari nequiret, eum ad hoc hortantes quod effici nullo modo potest. Ex quo fit ut sapiens ille, qui aut omnino non est aut species inanis est, supra casus omnes omniaque mala natura ac per se emineat: etenim nec gravissima podagra nec torminibus acerrimis adduci potest ut ingemiscat, nec ille, si caelum terraque ruerent, simul cum universo caderet, sed super eversum orbem maneret impavidus: cum interea hic homo, qui re vera est, de mente deturbatus, vociferatur, angitur, oculis ardet, anhelat ob amissum canem aut porcellanam confractam.

Estelle GITTA

Epistulas Latinas imam in Africam mittere iuvat!



Quisquis de Re Publica Democratica Congolensi cogitat, revocat sibi in mentem imprimis bella interna infinita, crudelitates immensas, genocidia, miseriam non excogitabilem. Sed mediis in his rebus atrocibus Latinitatem vivam florere quis credat? Attamen floret! Collegium *Alfajiri* est schola superioris gradus, quae olim a patribus Iesuitis Belgis condita est in urbe Bukavu, quae in regione Congolensi orientali iuxta fines Ruandenses sita est.




Hac in schola iam e multis annis Evardus Kwigomba discipulos discipulasque indigenas linguam Latinam docet. Cum amicus Latinitatis vivae sit sedulus, etiam interdum cum discipulis suis Latine loquitur. Qua re ei maximopere gaudent. Nuper Evardus e me quaesivit, num fieri posset, ut discipuli eius cum meis commercium epistularum Latinum haberent. Septimana proiectoria, quae dicitur, nonnullis meorum epistulas a discipulis Africanis scriptas proposui atque ab eis petivi, ut epistulas legerent atque collegis Congolensibus responderent. Hoc libentissime fecerunt.

Sed interea tot epistulae Congolenses ad me allatae sunt, ut non iam satis discipuli Latine scribendi cupidi mihi sint. Itaque a vobis, o lectrices lectoresque maxime honorabiles, auxilium imploro. Si ipsi iuvenes inter quindecim et viginti annos nati estis vel si vobis magistris discipuli eisdem aetatis sunt, me adite, quaeso, ut vobis inscriptiones discipulorum Congolensium dare possim. Epistulas imam in Africam mittere et ima ex Africa accipere valde iuvat! Bene cognosci poterit, quo modo homines ibi vivant, quae sint differentiae inter vitam eorum et nostram et quae condiciones sint similes.

Si quis commercium epistulare Latinum Africanum participare voluerit, scribat vel telephonet mihi:

Martin(us) Meier-Schnüriger, Etzelwerkstrasse 5, 8852 Altendorf; numerus telephonicus idemque telecopialis: 055 442 91 86; inscriptio electronica: mameschnue@hotmail.com.



De humana condicione



Si quidem insaniunt homines, parum tu sapiens et humanus es, qui non miserearis eorum, sed iis propter insaniam insultes. Quem autem auctorem habes, te non aequè delirare atque illi? Rettulit Stella Gitta

DE NIVEOLA SEPTEMQUE NANIS FABULA

Roald Dahl

REVOLTING RHYMES

**Versiculi Horribiles
a Francisco Schlosser
Rhenano-Palatinensi
in sermonem Latinum
conversi
imagunculisque lepidis
exornati**



*Noverca os suum in speculo magico
contemplatur iterum iterumque eadem
verba dicit:*

Mortua matre lepidae,
ut novimus, Niveolae,
rex, pater eius, dixit: "Qua
nunc vita fruar, anima?
Necesse ducam feminam
in matrimonium. Sed quam?"
Qua palam pronuntiavit re
mulierem ducturum se.
Erant innumerabiles
nuptias cupientes virgines.
Et, ridens, rex: "Temptabo has
experiarque feminas."
E quibus quandam is inflatam
postremo legit sibi gratam.
Rem miram secum duxit, qua
gaudebat re lusoria.
Haec res miranda speculum
loquendi peritissimum.
Quod cuilibet interroganti
responsum dabat ignoranti.

"Magicum specululum, mihi dic,
quae virginum
huius orbis sit terrarum venustissima
cunctarum."

Speculum iterum iterumque haec
respondet:

"Intellegitur ex se nullam pulchritudinem te." (1)

"Quod hodie inter prandium?"
interroganti speculum
hoc responderet: "O mamilla,
Iglu piscaria bacilla (2)."
Regina bruta ubivis
cotidie clamabat: "Quis
pulcherrima est feminarum,
o speculum, orbis terrarum?" (3)

Cui respondebat: "Nulla te
venustior est – certa re!
Tu longe es bellissima,
tu omnium dulcissima."

Per decem annos misero
quaerebat hoc e speculo.
Sed die quodam speculum
hoc dixit atrocissimum:
"Nunc noniam es pulcherrima.
Te pulchrior Niveola!"



*Speculum reginae malum nuntium ani-
mum vehementer perturbantem perfert.*

Regina ira inflammata
clamavit: "Ubi scelerata?!
Cui scorto pellem detraham,
viscera eius comedam!"

Quae saltuarium ad se
vocavit. Tum: "Apage te",
clamavit, "statim perditam
fac avehas Niveolam!
Cor affer mi nequissimae
in frusta scissum Niveae!"

In silvam nigram miseram
venator duxit Niveam.

Quae imploravit virum, qui
benignus erat: "Parce mi!"



*Niveola adamantam movet. Venator
parvulae mortem deprecantis miseretur.*

Niveolae supplicium
commovit viri animum.
Clamavit: "Fiat! Move te!"
Quod fecit libentissime.

Carnariam tabernam tum
intravit vir, cor bubulum
in locum cordis miserae
ut emeret Niveolae.

Reginae dixit: "Domina,
est actum de Niveola.
Indicium hic clarissimum:
cor Niveae sanguineum."


Regina mala iubilavit.
"Optime factum!" exclamavit.
O tempora, o mores! – Tum

cor parvae edit integrum
mollitum aqua fervida –
ne durum sit ut tegula. (4)



*Regina cor Niveolae, ut opinatur, crudum
sanguine respersum voratura est..*

Manus
manum lavat



Sed vitio hi pumili
atroci erant dediti.
Pignoribus certando rem
perdebant suam, suam spem.
(Qui privabantur ea re
merenda frequentissime.)

Dum haec geruntur omnia –
quo ierat Niveola?


Vir curru vehens propere
in urbem duxerat cum se
formosam iuvenellam, qua
faciebat lucrum famula.
Serviebat apud pumilos,
homullos septem lepidos (5),
sessores olim optimos.

*Nani Niveolam tecto recipiunt et
victum ei praebent. Niveola domum
regit: obsonatum it, cibos praepa-
rat, vasa escaria eluit, placentas
coquit, lintea la-vat, instrumento
haustorio cubicula excutit, multa
cetera facit..*

Sed dixit Nivea ancilla
vespere quodam illis illa:
"Ne pignore certetis, dum,
nani carissimi, absum!"

Naturalia non sunt turpia. In hoc sinu vinces, parvula mea!

Niveola autocurru nulla sua impensa vehi vult. Autoraedariis praetervehentibus digito signa dat. Qui libenti animo puellam secum ducunt, quia mulier omnibus simulacris emendatior, optime figurata, pyrobolum eroticum (quod lingua Anglica "sex bomb" significat), prodigium mammiferum est.



Quo dicto parasitice (6) in urbem vectast. Propere concubia nocte furtim, clam intravit domum regiam.

Rex pecuniosus erat vir. Pecuniam percensebat. Regina in cubiculo mel apium lingebat.

Non audiverunt famuli Morpheo deo dediti Niveolam, quae magicum de muro dempsit speculum.

Reversa natu maximo puella dixit pumilo:



"Hoc speculum interroga quaecumque velis, omnia!" "O speculum, ne ludas nos", hic dixit, "aere dirutos! – Qui equus praemium feret cras?"

"Ascotinense (7)? – Equus mas, quem dicunt Fulmen Candidum", quaerenti dixit speculum. Nunc gaudio exsiluerunt homulli, parvam basiaverunt.

Oscula, qui sumpsit, si non et cetera sumit, haec quoque, quae data sunt, perdere dignus erit.

Mene quoque eadem fortuna manet?




Nani gaudio exsultant. In Niveolam insiliunt, basia mille ei dant.

Celeriter qui anulos obligaverunt aureos. Autocinetum vendiderunt. Magnam pecuniam petiverunt a Barclay (8) nummulario summo officio praedito. Et pignus posuerunt de hoc equo iam postridie.

Fulmen Candidum, equorum omnium celerrimus sum.

Sponsorionem faciamus!



Fulmen Candidum equus insignis plus centies iam vicit

Sic speculum pecuniam paravit ingentissimam pusionibus, Niveolae. Praedivites sunt facti. Quae hoc monstrant: Vitium pignerandi haud vitium: ars est aes parandi!

(1) Sic ludi formosissimarum mundi feminarum de palma pulchritudinis certantium initium ceperunt.

(2) Bacilla piscaria: Quae bacilla in officina Igluensi fabricata sermone Britannorum Americanorumque et digiti piscarii appellantur. Forte fortuna bacilla piscaria in fabula nostra cocta sunt! Si alia cocta essent, (crustae Etruscae, exempli gratia, quae nostro tempore pizzae appellantur, vel autem isicia Hammaburgensia, panicelli bubula infarti a Macdonaldo quodam fabricati, vel canes calidi, pastilla botulo infersa, vel trahemesursum nostra aetate tiramisu dictum, vel cetera) verba extremis syllabis minime consonavissent!

(3) O vanitas vanitatum et omnia vanitas!

(4) Qui mos cor sanguineum privignae edendi! "Phui!" dico, et iterum iterumque dico "Phui!".

(5) Hic mos cohabitandi, ut scimus, a Hippis, iuvenibus nil agentibus Liberis Floreis et dictis, inductus est. Liberorum Floreorum sententia fuit haec: Ne belles! Ames!

(6) Vector parasiticus / vectrix parasita: Consocius / consocia huius generis humani peregrinatoris gratis autocinetis aliorum vehi solet. Vector parasiticus / vectrix parasitica pollice erecto gubernatoribus autovehicularum praetereuntium signum dat, ut currus sustineant seque ipsum / ipsam ad iter faciendum invitent.

(7) Ascot: urbs Anglica ubique nota, qua in urbe quotannis cursus equestres obstaculis obstructi habentur. Equus, qui cursu equino in locis desertis Ascotinensibus habito vincit, "praemium Ascotinense" fert.

(8) Barclay (lingua Latina Barclaius dictus): possessor magnae mensae argentariae Britannicae omnibus optime notae.




Qua libertate civis fruatur

Disciplinam militarem totam comminuit princeps iste: nam rapinis assuefactum exercitum ignotis adhuc desideriiis auxit, militesque semel corrupit, qui postea duces corruperunt. Urbem armata manu ingressus, imperatores quomodo arx illa libertatis violaretur docuit. Militibus civium agros tribuit, qua re avidi in omne tempus facti sunt: ex his enim temporibus nemo bellator fuit, quin occasionem quamdam expectaret, per quam in manus eius bona civium suorum venirent.

At, proscriptiones cum excogitavisset, eorum omnium capitibus qui partium eius non erant pretium constituere coepit. Quamobrem ut quisquam rei publicae studeret non iam fieri potuit: quippe, cum inter se viri duo, potentiae appetentes, pro victoria certarent, exploratum habebant qui medii libertatem sectati sunt se ab eo qui vicisset proscriptum iri. Prudentiae igitur fuit causam alterutrius complecti.


Estelle Gitta

Facete lepideque dicta



Susanna et Sabrina sorores geminae sunt. Susanna, cum mater eam lecto illatura sit, constanter ridet. A matre interrogata, cur rideret, respondet: "En, matercula, Sabrinam bis lavisti, me autem numquam!"

Andreas McParcus, vir Scotus, tandem muscipulam emit, ne mures sibi omnia auferrent. Sed pro caseo casei photographema e periodico quodam depromptum muscipulae infert. Die proxima in muscipula muris cuiusdam photographema invenit.




Medio in curru traminis ferriviarii Americanus et Francogallus sedent. Americanus cumme sua manducanda eleganter et exacte praeter Francogalli caput per fenestram foras exspuita se verbis his introducit: "Mihi nomen est Ioannes Garrison, sputorum magister summus!" Tum Francogallus Americano mediam in faciem spuens: "Mihi autem nomen est Carolus Dupont, artis sputoriae tiro."



Arminius canem empturus e canum altore quaerit, num eiusdem canes liberos ament. Ad quae altor: "Certe amant, sed equidem eis pabulum caninum darem!"

Nuper centum annos natum factum senem diurnarius interrogat: "Et quo modo, domine, tibi explicas, cur tantam aetatem attigeris?" Tunc senex subridens: "Quod anno 1903° natus sum."



Turnus autocineti per desertum vectus ad stationem benzinariam pervenit. Ibi inscriptionem hanc legit: "Noli dubitare benzinam tibi acquirere, nam proxima statio benzinaria fata Morgana erit."

Hominem operarium sibilantem audiens princeps ergasterii saeviens clamat: "Quid, stulte, per totum diem sibilas? Statim desine, nisi emitti vis!" Operarius: "Ignosce mihi, domine princeps, sed putabam te gaudere, quod me praemio tam parco accepto tamen sibilantem et cantantem audires."

Martinus Meier

De Ioannis Calvini vita (I)



Nunc dicere de sobrietate eius aggrediar, quam summis effert laudibus, ut biduum integrum ab omni eum cibo nonnunquam abstinuisse in laude eius ponat, cuius ipse oculatus testis esse possit. Addit hoc quoque, nunquam eum toto vitae tempore in vivendi modo, moribus, doctrina variasse, sed eandem semper rationem secutum esse. Quam tantam tam effrontis ioculatoris impudentiam mirari satis non potui, qui quod nigrum sit, esse album persuadere vult, et angelum Sathanae in lucis angelum transformare nititur neque miror tamen; solemne enim et proprium hoc, qui ex patre mendacii prognati sunt, filiorum munus est, atque officium.

Sed longe aliter se res tamen habet, estque manifestum, quotquot huius religionis sectatores Genevam demigraverant nobiles opulentique homines, nullum ei gratius officium praestare potuisse, ad eius sibi favorem et amicitiam conciliandam nullam faciliorem viam habuisse, quam apparandis illi lautis conviviis atque epulis, sive prandium esset, sive etiam cena.

Certabantque inter se, alterque alterum superare in eo oppipare tractando non serculorum tantum copia, sed lautitia, sed sumptu apparatuque delicatior, contendebat. Unde factum, ut altitium et delicatarum rerum precio multum sic aucto, ex hac, advenarum Gallorum praesertim, gula, ingluvie, helluatione, qui quidquid obsonii delicatioris in forum venale allatum esset, auferebant statim, ut duplex offensio oriretur, duplexque in populo mussitatio audita sit.

Alios offendebat Christianos homines patria idcirco egressos, ut sanctius religiosiusque sub Evangelii professione viverent, tantopere luxui ventrique deditos addictosque cernere. Alii, iique pauperes, necessariis ad vitae rebus destituti, multum indignabantur, quod cum ipsi omnibus rebus indigerent, in epulis D. Calvino paratis nihil deesse, sed profuse omnia et redundanter ac superflua multa exhiberi conspicerent. Hic rursus respondebunt dedititii eius, bono illi viro minime grata huiusmodi fuisse, maluisseque minorem sumptum fieri; ex benigno autem, quem erga ipsum omnes gererent, animo affectuque profecta esse; quippe qui hoc modo, cum aliter non possent, honorem, quem ipsi deferrent, et amorem, quo prosequerentur, testatum facere ac declarare satagerent. Recte quidem hoc, nisi boni, sinceri, ac veri pastoris, atque verbi Dei ministri officium esset, luxum et ingluviem nimisque magnificos in epulis apparatus reprimere, resecare, neque eis frequentem interesse: non

solum, ne approbare videatur; verum etiam ne pauperes et tenuis fortunae homines contristet offendatque.

Verum secus tamen se multo rem habere ex viris optimis et fide dignis satis cognovimus. Nam apud se domi optimi quique et delicatissimi boli eius palato reservabantur, aut sane fuere praesentati: vino autem quo utebatur, nullum erat in tota urbe delicatius. Nam hoc in singulos annos curandum erat, comparabatque sibi ex vineto domini de Flechiere de Concise iuxta Thonon, nihil pensi habito, quam hoc carum esset. Et quando ad quemquam amicorum, tanto cum favore dignatus, pransum ibat, vel cenatum, suum vinum in argentea lagenula eo ferendum erat, quod Domino eiusque palato tantum servabatur. Quid? quod pistorem haberet, qui singulari modo panes ei, eiusque ori sapidos pinseret; ex nobilissimo farinae flore, aqua rosacea, saccaro, cynamomo et anyso macerato, et bis deinde cocto: et hic panis, per singularem excellentiam panis Domini, puta Calvini, vocabatur.

Hoc Beza et deditissimi Calvini discipuli, quantum volent, negent, mihi satis est, Bernensium Primores testimonium perhibere posse, qui hoc luxu, in quem diligenter inquisierant, graviter offensi fuere, maxime, cum neque hoc ignorarent, in quanta copia ex omnis generis condimentis, et liquidis et siccis ex Hispania et Lusitania, quae possent reperiri, exquisitissima ad eum a perquam multis muneris loco perferrentur, quorum ipse maiores massas adsumeret, quam sicci panis nonnulli pauperum. Nec est sane, quod Beza veritatem tenebris offusis occultet, aut dissimulando extenuet: mendacia enim breves pedes habent, et idcirco prae lassitudine facile concidunt, neque longum cursum facere queunt: at veritas, quae temporis filia est, tandem aliquando se prodit, et emicat, eorumque oculos, qui tenebris obvolvare nituntur, perrumpit perfringitque. Idcirco de



eius sobrietate nihil dicam amplius, hoc tantum, doctorem unquam aliquem, et verum ac sincerum pastorem Evangelii tam delicate et ex animi sui sententia habitum, neque scriptum neque auditum esse, quidquid tandem Beza scribat.

Hanc historiam ad reverendissimum archiepiscopus et comitem Lugdunensem anno MDLXXX per Hieronymum Bolsecum, medicum Lugdunensem, descriptam proposuit

Stella Gitta.

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS (“Romulus der Grosse”) comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars duodecima

ROMULUS: Tun’ es verus Germanus?

GERMANUS: Prolis praevetustae.

ROMULUS: Hoc comprehendere omnino non possum. Tacitus vos describit homines oculis trucibus, caeruleis, capillis flavis, barbaricis corporibus giganteis, sed tu mihi potius videris botanicus byzantinus falsis vestimentis indutus.

GERMANUS: Etiam Romanos ego mente finxi prorsus alios: Semper audiveram de eorum fortitudine, et nunc tu unicus es, qui non aufugit.

ROMULUS: Patet utrumque nostrum de alterius stirpe falsissime cogitare.

Haec vestimenta, quibus pedes tui involuti sunt - suntne braciae?

GERMANUS: Certe. Sunt.

ROMULUS: Hoc est revera mirum vestimentum. Idem ubi claudis botonibus?

GERMANUS: In parte anteriore.

ROMULUS: Quomodo idem corpori affigis?

GERMANUS: Habenis bracarum.

ROMULUS: Licet videre tales habenas bracarum. Talem rem mihi anirno fingere omnino non possum.

GERMANUS: Scilicet.

Germanus Romulo dat gladium, vestem botonibus aperit.

GERMANUS: Habenis bracarum inventis braciae non iam sunt problema technicum. En aspice posteriora.

Se vertit.

ROMULUS: Commode factum.

Reddit illi gladium.

ROMULUS: Habeas gladium tuum.

GERMANUS: Gratias tibi ago. Quidnam bibis?

ROMULUS: Vinum asparagi.

GERMANUS: Licetne gustare?

Bibit, corpus quatit.

GERMANUS: Intolerabile! Hoc potulentum non iam diu bibetur. Cervesia isto melior est. Ceterum gratulor tibi, quod possides illam Venerem supra stagnum in viridiario tuo positam.

ROMULUS: Illane est figura extraordinaria?

GERMANUS: Opus ab ipso Praxitele confectum.

ROMULUS: Heus malum. Semper credidi illam statuam esse similitudinem tantum nullius pretii. At nunc iam abest mercator artificiorum!

GERMANUS: Permittas quaeso.

Considit, explorat ovum applari exesum.

GERMANUS: Haud malum.

ROMULUS: Alisne gallinas?

GERMANUS: Magno cum entusiasmo.

ROMULUS: Mirum! Ego quoque alo gallinas!

GERMANUS: Tu quoque?

Unus alterum aspectat oculis emissiciis.

GERMANUS: Gallinae in viridiario versantes suntne tuae?

ROMULUS: Quas curavi e Gallia importandas.

GERMANUS: Pariuntne?

ROMULUS: Dubitasne?

GERMANUS: Sincerus sis. Quantum ex ovo concludo, non ita bene pariunt.

ROMULUS: Ita sane, in dies rarius ova pariunt. Sollicitor de gallinis. Nescio, num in causa sit pabulum. Nulla gallina recte valet nisi una.

GERMANUS: Illan’, quae est ravi coloris et maculis flavis obsita?

ROMULUS: Quare sentis eam ipsam esse optimam?

GERMANUS: Quia hanc gallinam curaveram in Italiam importandam. Scire volueram, quomodo sustineret caeli statum meridionalem.


ROMULUS: Non possum quin gratuler tibi. Haec est stirps domestica vere bona.

GERMANUS: Quam ipse effeci.
ROMULUS: Videris esse cultor gallinarum excellentissimus.
GERMANUS: Pater patriae ut sum, debeo hanc rem tractare.
ROMULUS: Tun' es pater patriae? Quis vocare?
GERMANUS: Odoacer sum, princeps Germanorum.
ROMULUS: Gaudeo te noscere.
ODOACER: Tu autem quis es?
ROMULUS: Ego sum Imperator Romanus.
ODOACER: Ego quoque gaudeo te novisse. Sed statim sciveram, quemnam convenirem.
ROMULUS: Tun' iam scivisti?
ODOACER: Ignosce quod simulavi me te ignorare. Hominibus inter se hostilibus cum aliquatenus iniucundum sit subito unum in alterum incidere, mihi quidem utilius visum est in initio tecum colloqui de gallinis alendis quam de rebus politicis agendis.
ROMULUS: Ignosco tibi.
Silentium.
Imperator mappa deterget os suum, surgit.
ROMULUS: Paratus sum.
ODOACER: Paratus ad quid faciendum?
ROMULUS: Ad moriendum.
ODOACER: Tun' exspectas mortem tuam?
ROMULUS: Inter omnes constat quid faciant Germani de captivis suis.
ODOACER: De hostibus tuis tam superficialiter cogitas, ut comprobes iudicium plebeculae, Romule Imperator?
ROMULUS: Quidnam aliud velis nisi mortem meam?
ODOACER: Hoc videbis. Veni, nepos!
E recessu venit heros saeve cataphractus, non "wagneriani" generis, sed prisci, una manu cassidem, altera manu securim tenens carnificis.
NEPOS: Care avuncule?
ODOACER: Dorsum inclina coram Imperatore Romano, nepos.
NEPOS: Inclinabo, care avuncule.
Dorsum inclinat.
ODOACER: Fac magis te demittas.
NEPOS: Ut iubes, care avuncule.


ODOACER: In genua procumbe coram Imperatore Romano.
NEPOS: Procumbam, care avuncule.
In genua procumbit.
ROMULUS: Quid hoc sibi vult?
ODOACER: Surge, nepos.
NEPOS: Ut iubes, care avuncule. ODOACER: Exi, nepos.
NEPOS: Exibo, care avuncule.
Exit.
ROMULUS: Non intellego.
ODOACER: Non veni, ut te occiderem, Imperator Romane. Veni, ut me cum toto populo tibi subderem.
Etiam Odoacer in genua procumbit. Romulus horribiliter territus est.
ROMULUS: Ista quidem insania est!
ODOACER: Etiam Germanus vult dirigi sana ratione, Imperator Romane.
ROMULUS: Irrides me.
Odoacer iterum surgit.
ODOACER: Romule, nos modo prudenter collocuti sumus de gallinis. Potestne fieri, ut eadem cum prudentia colloquamur de gentibus nostris?
ROMULUS: Loquere.
Ambo considunt. Romulus vultu est tristi, Odoacer Romulum attente aspectat.
ODOACER: Vidisti nepotem meum. Qui vocatur Theodericus.
ROMULUS: Vidi.
ODOACER: Qui est iuvenis urbanus. Ut iubes, care avuncule, bene, care avuncule, sic loquitur per totum diem. Eius mores sunt nulla vituperatione digni. Qui modo suo vivendi gentis meae mores corrumpit. Qui nullam puellam tangit, nihil bibit nisi aquam, humi dormit. Cottidie usum armorum exercet. Nunc quoque, ubi est in procoetone, puto eum corpus exercere.
ROMULUS: Ergo verus est heros.

Comoediae pars ultima in proximo libello sequetur!

Si beatam vitam agere vis



Estelle GITTA



Subnoto RV, ut ipse accipiam
 (Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
 inscriptio cursualis supra indicata est
 (Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
 ment für jemanden, dessen Adresse oben
 angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
 tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
 mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
 frankieren

RVMOR VARIUS
 C/o EDITIONS DU LAC
 Estelle GITTA
 Ch. F.-Lehmann 2
 1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

4/2003

IDIBVS NOVEMBRI BVVS

MMIII



TOMVS 26

FASC. 150